

tibi, ut habeas et possideas sine macula et ruga. Haec est spes mea; ideo loquor, et in ea spe gaudeo, quando sanum gaudeo. Caetera vero vitae hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur; et tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexisti; quoniam qui facit eam, venit ad lucem. Volo eam facere in corde meo coram te in confessione; in stilo autem meo coram multis testibus.

CAPUT II. DEO OMNIA MANIFESTA ESSE, EIQUE CONFITERI, NON AGI VERBIS CARNIS, SED ANIMÆ ET CLAMORE COGITATIONIS.

Et tibi quidem, Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanae conscientiae, quid occultum esset in me, etiam si nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus testis est, displicere me mihi, tu refulges, et places, et amaris, et desideraris, ut erubescam de me, et abjiciam me, atque eligam te, et nec tibi, nec mihi placeam, nisi de te. Tibi ergo, Domine, manifestus sum, quicumque sim, et quo fructu tibi confitear, dixi. Neque enim id ago verbis carnis et vocibus, sed verbis animae et clamore cogitationis, quem novit auris tua. Cum enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi; cum vero pius, nihil est aliud confiteri tibi, quam hoc non tribuere mihi: quoniam tu, Domine, benedicis justum; sed prius eum justificas impium. Confessio itaque mea, Deus meus, in conspectu tuo tibi tacite fit, et non tacite. Tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico recti aliquid hominibus, quod non a me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audis a me, quod non mihi tu prius dixeris.

CAPUT III. QUI BENE CONFITETUR DEO, OPTIME SE COGNOSCIT.

Quid mihi ergo est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos?